



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

II. Ars & methodus bonæ Catecheseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

304 *Institutionum Pastoralium*  
*eorundem munus videatur, teneros puero-*  
*rum animos Christiana disciplina formu-*  
*lis velut cum ipso lacte imbuere.*

NVM: II.

*Breuis bene Catechizandi methodus.*

**H**Æc etiam res bene Catechizan-  
di, etsi vulgaris videatur, suam  
artem habet, & methodum. Tradan-  
breui compendio. Inibis numerum  
puerorum ab anno septimo circiter,  
vsque ad annum decimum sextum:  
monebis pro concione parentes, de  
necessitate huius institutionis, & mu-  
nere tui officii, vrgebisque, vt pueri,  
quorum catalogum confeceris, & alii  
rudiores compellantur ad audiendum  
Catechismum in æde sacrâ, quo tem-  
pore iudicabis id fore opportunio: ferè  
commodius est, vt post meridiem,  
pulsu campanæ conuoces: in nau-  
templi humilia scamna disposita sint,  
quibus confideant pueri, & puellæ  
seorsim; adsit ædituus, vel vir quispiam  
alius

alius grauis, qui modestiam procuret, & attentionem: è plano, in communi tuo habitu sedens, stans, inambulans, prout libuerit, aut mos tulerit, Catechesim exordieris à signo S. Crucis, clarâ voce, SS. Trinitatem inuocando, quod ceteri facient; tùm vnus quispiam, quem designabis, linguâ vernaculâ Symbolum Apostolorum clarè recitet, reliquis per singulos articulos præeuntis vocem sequentibus; in fine verò Catechesis eodem modo Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem. Expediret subinde eorum loco præcepta Dei, & Ecclesiæ, & septem Sacramenta viuâ similiter voce pronuntiari; vt eâ ratione, ex longo vsu, summam illam rerum maximè necessariarum omnes perdiscant.

Materia Catecheseos sunt ea ipsa capita nostræ fidei, quibus adde opera misericordiæ, septem peccata capitalia, & quatuor nouissima hominis, & si quæ eiusmodi alia; sed per partes,

partes, neque vnâ vice, & non nisi pauca, quæ diligenter inculcentur.

Modus, siue forma dictionis sit vulgaris, simplex, familiaris ad rudium, & imperitorum intelligentiam, quorum mens ignara est, debilis, & parum capax; sententiæ non ducantur longis periodis, neque tropis, aut figuris illustrentur; similitudines è vulgò sumptæ, & apposita ad rem exempla simul docent, & delectant, simul iuuant intellectum, & memoriâ: ferè per quæstiunculas, & responsiunculas doctrinam trades, quam deinde iubebis iam ab his, iam illis stantibus fideliter repeti, vt firmiùs inhaereant. Tenera & rudis ætas mirum quantum stimuletur commendatione, & laude, præmiolis, rhythmicis cantilenis; quare hæc etiam incitamenta, & illecebras adhibebis: ad laudem pertinet, si primarii è tuis, & puerorum parentes, aut domini intersint, qui suâ præsentia catechesim

hono-

honorent: non dedignabuntur, opinor, cum ipsi nonnunquam Reges, Viri Principes, Dynastæ, & primi è Magistratu adesse non dubitârint, & præmia ipsi merentibus distribuerint; his cupediis inhiant pueri: quam in rem imagunculæ sacræ, Rosariola, cerei benedicti capsulæ, & libelli pii, tibi fiat ad manus, præsertim diebus aliquot solemnibus, ad quæ munuscula accipienda, quæ præcipuè rem egerint, quasi in theatrum honoris evocentur. Cantiones sacræ rhythmicè compositæ & modulatæ sub catecheseos finem, primò memoriam iuuant; quia numeris adscriptæ summam rei breviter exhibent: secundò capiunt audientium animos: tertio vsui sunt, vt cantilenæ profanæ, hæreticæ, turpes aboleantur; cum puriora, & sanctiora illa in usum veniunt.

NVM;